



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

17 Januarij. 16 Cal. Febr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

17 Januarij. 16 Cal. Febr.

B. ALGOTE: qui sub institutione *Electus*
 suavissima BERNARDI eruditus, e- *anno*
 jusdem suffragijs, virtutes tuas pro *1147.*
 merito æstimantibus, Episcopus Curie
 creatus; munia pastoris optimi, cum
 observantia monachali conjungens;
Martha simul, & *Mariae* partes fuisti af-
 secutus. Multa monasteria aut noviter
 crexisti, aut instaurasti collapsa. Ege-
 nos innumerabiles è suis miserijs sub-
 levasti. Felicem Rhetiam, si hac nostra
 ætate illam Fidei orthodoxæ purita-
 tem non odisset, quam à te ante quin-
 que sæcula, vitæ sanctimoniâ, & pro-
 digijs confirmatam accepit. *Sed & me*
felicem, si quam tu inter publicas negotio- *Morum*
rum turbas servasti religiosam vitæ mode- *decetia*
stiam, ipsorumque decentiam, ego ubiq; imi-
tari studuero. Tu orbitâ timoris Dei me
circumda, quam nullibi transgrediar.

Sancti, ac Beati Monachi, & Con-
 versi VILLARIENSES: quorum
 relictæ in hac terra Exuviae, ante 79 *Anno*
 annos ab hoc præsentis, hac ipsa die *1599.*
 per solennem pompam Translata, &
 pretiosè exornata sunt. *Transferte &*
me, atque elevate à terra, à concupiscen-

C

iij

50 ANNI CISTERCIENSIS

tij's terrenis, ad pia desideria cæli: ita ut veraciter cum illo tertij cæli spectatore dicam: Nostra conversatio in cælis est.

*Circa
annum
1250.*

B. THEOBALDE, ex divite Castellano pauper & humilis in Villario monache: qui in genuina cordis simplicitate, & indefesso fervore, ad æternæ gloriæ bravium cucurristi. *Impetra mihi cor simplex, & rectum; quod recto semper cursu feratur in simplicissimum illud, & immutabile Bonum, ab non uno tantum ac simplici corde, sed totis mille cordium affectibus amandum!*

*Obijt
anno
1623.*

B. GUILIELME à S. Alexio, quem inter primos celeberrimi sui Instituti alumnos numerat S. Congregatio Fulienfis. In qua quamdiu vixisti, veluti suprema virtutum, ita sectabaris extrema paupertatis & spontanei cruciatûs. Solam nudamq; humum quieti per noctem modicæ substernebas. Victum intrâ limites herbarum & leguminum tenuisti. Sub Psalmodia ad exhibendam corpore, quam mente gerebas, reverentiam erga Divinæ majestatis præsentiam, caput nunquam tegebas. Vigilandi continuam legem sola te opprimens necessitas solvebat; cum aliàs in oratione noctes ducere insomnes tibi esset perquam familiare. Et harum virtutum sinceritatem probavit

*Vitæ
magna
austeri
tas.*

bavit perseverantia; quam ad ultimum
 ulque vitæ spiramen, sub sacra Uncti-
 one emissum, in eodem nusquam ex-
 errante tenore conservasti. *Quàm di-
 versam invenio vitæ rationem, si meam
 cum tua comparare voluero! Tu excita*
me, ut jugum Domini suave, licet carni &
sanguini grave esse videatur, virili animo
tollam. Non denegabit suæ gratiæ subsi-
dia, qui debiles humanæ miseriæ vires non
ignorat.

Jugum
 Christi
 virili-
 ter tol-
 lendum

S. BERNARDUS, serm. 5. de divers.

In duobus tota spiritualis conversa-
tionis summa versatur: ut in nostra
consideratione turbemur, & contri-
stemur ad salutem; in Divina respi-
remus. Atq; hinc timorem & humi-
litem; inde verò spem concipia-
mus, & charitatem.

In Dei
 bonita-
 te respi-
 randū.

☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)(☩)

18 Januarij. 15 Cal. Febr.

SANCTISSIME Theodidacte,
 Doctor Melliflue BERNARDE,
 eminentissimæ sanctitatis universale
 speculum; Sol sanctimonie. Cujus san-
 ctissimam Innocentiam nulla, nisi san-
 ctissima lingua tua, pro dignitate elo-
 quetur